



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P.D. Lvdovici Gomes, Episcopi Sarnensis, sacri Palatii
Auditoris, Commentarii in iudiciales regulas Cancellariae**

Gómez, Luis

Lvgdvni, 1557

Pavlo Tertio, Pontifici Maximo, eidémque optimo, Ludouicus Gomes
episcopus Sarnen. Felicitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63697)

PAVLO TERTIO, PON-

tifici Maximo, eidemque optimo, Lu-
douico Gomes episcopus
Sarnen. Felici-
tatem.

*



A B E o ipso die, quo me studiorum ardentior
cura incelsit, beatissime Pater, nihil magis
præ me tuli, neque ingenuo, ac studio vi-
ro dignius existimaui, quam otij sui, & studio-
rum rationem optimis Principibus, sapienti-
bûsque viris reddere. Hoc Aristoteles Alexandro, vterque
Plinius Tito, & Traiano, ac plerique veterum magno &
excellenti viri ingenio, maioribus suis præstiterunt. Gym-
nosophistæ quoque, Indiæ sapientes, tantopere otium de-
testabantur, vt non modo ipsi temporis ratione reddere,
sed ab aliis accipere consueverint: qui priusquam edulia
mensis apponerentur, adolescentem ex diuersis officiis cõ-
uenientes interrogare soliti erant, quid boni à lucis ortu,
tunc vsque didicissent, quisque nihil habebat responden-
dum, impransus foras extrudebatur: pro certo habetes id
quod erat, sicut virtutis laborẽ, ita sceleris otium esse mi-
nistrum. Nihilque agẽdo homines (quod Cato dicitabat)
ad malè agendum instrui. Quibus ego exemplis admoni-
tus, cum Patavij, studiorum causa agens, aliquid fortè pro-
fecissem, illud in primis laboriosum opus, Marino Geor-
gio Veneto, clarissimo vndecunque viro, cuius opera non
mediocrem Patavij locum fueram consecutus, dicandum
dixi, & ibi nonnulla conscripsi, quorum aliqua, proximis
diebus, sub auspicio Sacratissimi nominis tui in lucẽ pro-
diere. Nũc verò superest, beatissime Pater, vt eius quoque
temporis, quo iam per vndecim annos in tuo Rotæ Audi-
torio, veluti Diogenes, dolium volui, computum tibi, &
rationem reddam. Quod quidem, vt maturius à me fieret,
quæ nuper sum pollicitus, hæc qualiacunq; Commen-
taria regularum Cancellariæ Apostol. quibus orbis Chri-
stianus magna ex parte regitur, iure tibi illarum conditori

dēdico, atque offero, qui vnus omnium Romanorum Pontificum etiā maiestatem Sedis Apostolicę iam iam collabentem optimis institutis, atq; ornāmentis illustratam honorasti. Continent siquidem earundem interpretationem varia rerum cognitione conspersam, & nascentis Ecclesię, ac Cancellarię primordia, incrementa, varietatem, & nostra vsque ad tempora progressum. Continent supra quingentas Reipublicę perquā vtilis, ac nouas Rotę Decisiones, meo tempore collectas, per quas causarum patroni, ceteriq; causidici instruuntur, ecclesiastici ordinis iudices quid agere debeant, admonentur, & tanquam adhibitis luminibus, litium tenebris fugatis, Christianę Reipublicę status roboratur. Quibus non iniucundum vtriusq; Signaturę Compendium, formulam antiquę, & nouę curię demonstrans, annexum est. Quo in opere quantū elaborauerim, quantum industrię, ac studij adhibuerim, aliorum sit iudicium. Et si homini vehementer occupato aliquid fortē per incuriam exciderit, facile condonabis: difficile quippe fuit Ioui Imperij, ac gubernationis domino, & Mercurio literarum principi pariter interuire. Nam Lunam, ceterosque cęlestes nunquam ab ædibus Mercurij separatiōnes esse ferunt, quā vbi Iouis sedes ingrediuntur. Hęcigitur pro tua humanitate, Paule optime, suscipe, & Sarnensem tuum (cui nihil magis cordi est, quā, vt tibi bonorum omnium parenti studij sui fructus rependat) refoue. Qui si ingenij tui celsitudini minime responderit, dabis veniam. Nam, vt es erga impios iustissimus Index, ita esse soles erga tui studiosos indulgentissimus Pater. Vale.